

processione pro sacramento per Cardinalem reponendo in Coena Domini? Ex celebri hoc caeremoniali, expleta missa „canonici capiunt solita paramenta et duo ministri tunicellam et dalmaticam“, nullaue prorsus facta stolae mentione etiam ipse praescribit per „eosdem ministros canonicos paratos stantes eidem (Cardinali) offertur adhuc genuflexo sacramentum etc.“ et paulo inferius: Minister paratus genuflexus... Sacramentum de *manibus Cardinalis stantis* recipit.

Negandum tamen non est, extare Sacrae hujus Congregationis decretum in Portugallen. in qua cum quaesitum fuisset, an quia caeremoniale Episcoporum cap. 23. et 33. lib. 2. non meminit stolarum pro duobus canonicis assistentibus, iidem diaconi debeant parari amictu, alba et dalmatica, responsum est die 17. Septembris 1785 ad 2: „affirmative saltem quoad primum diaconum assistentem in omnibus functionibus, in quibus portandum est vel deponendum SSmum Sacramentum.“ At praeterquam quod non satis intelligitur, quomodo fieri possit, ut ex duobus diaconis assistentibus *saltem* primus paratur alba praeter amictum et dalmaticam, extant tam antecedentia quam subsequenta decreta, quibus enunciata caeremonialis Episcoporum praescriptio confirmatur. Siquidem in Altasinen. die 1. Martii 1864 declaratum est, quod „diaconus assistens a dextris (indutus sola dalmatica) tradere debet SS. Sacramentum praesuli celebranti (in solemnitate Corporis Christi) et ab ipso illud recipere“. Et in Pisana 12. Novembris 1831, quod „serventur in omnibus, etiam in vestibus diaconorum assistentium, caeremonialis Episcoporum et memorialis rituum dispositiones“. Et in Viglevanen. 6. Septembris 1834, ut servetur caeremoniale Episcoporum lib. III. c. XXXIII., n. 8., 17., 22. Neque omittendum

esse arbitror ob quamdam rationem paritatis in Andrien. 3. Septbr. 1661 declarari „patenae suppositionem per sacerdotem cotta indutum, quae per dignitates agitur, retinendam.“

Quis autem sit memorialis rituum de quo in Pisana, fateor me ignorare, cum nullam de eo mentionem in rubricistis repererim. Id tamen potui colligere inscribi: memoriali rituum majoris hebdomadae, quo fortasse utebatur Ecclesia Pisana. Quaecumque autem de illo feratur opinio, is § 9 dicitur non loqui omnino de stola quoad duos diaconos assistentes in processione feriae V. in Coena Domini.

Stolam igitur in enunciatibus functionibus necessariam non esse canonicis et diaconis assistentibus paratis eamque suppleri per pluviale et dalmaticam, evincunt quae huc usque attulimus testimonia: his tamen addam, coronidis loco, praxim capellae pontificiae, in qua nedum diaconus assistens in praefatis casibus stolam non habet; sed et subdiaconus ipsemet apostolicus (qui certe stolam nec habet, nec habere potest, in missa pontificali, quae solemniter celebratur a Papa, defert ab altari ad illius sedem pyxidem cum particulis consecratis.

Idcirco proposito dubio respondendum censeo: affirmative juxta caeremoniale Episcoporum et dentur decreta.

S. C. resp.: Affirmative juxta Caeremoniale Episcoporum et dentur decreta.

Die 12. Septembris 1837.

(Anal. J. P. 1858 p. 349.)

IV. Defuncti.

Vd.: *Sacerdos def.*; *Sepult. Sacerdotis def.*; *Paramenta Episcopi* (post mortem).

V. Modus deferendi.

In aspersione aquae benedictae, quae

apud Capuccinos fit a sacerdote alba et stola induto, celebraturo immediate missam conventualem, stola est ante pectus ad modum crucis aptanda. N. 2903 ad 8 die 30. Septbr. 1679.

Capuccini Sacerdotes in die Coenae Domini s. Corpus Chr. sumentes deferre solent stolam ante pectus in formam crucis accomodatam; quaeritur: an debeant observare consuetudinem introductam vel deferre stolam a collo pendentem.

S. C. resp.: *Posse utrumque servari*. N. 2903 ad 9 die 30. Septembris 1679.

Vd.: *Stola presbyt. communic.*

VI. In ordinat. Presbyt.

Ad dub.: Utrum canonici sacerdotes praesentes in ordinatione in habitu canonicali, manus imposituri super ordinandos ad presbyteratum, debeant accipere stolas et quatenus affirmative, utrum debeant, cappa vel mozzetta depositis, induere superpelliceum?

In ordinatione presbyteri de impositione manuum super caput ordinandorum ad ordinem presbyteratus haec habet pontificale romanum. Pontifex... „imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes sacerdotes, qui adsunt, quorum tres aut plures planetis vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent.“ An autem hujusmodi sacerdotes, quatenus sint canonici, canonicales habitus deponere et cottam sumere debeant, negativa est praxis archibasilicae Lateranensis. Respondendum itaque quoad primam partem: provisum per pontificale romanum de ordinatione presbyteri; quoad secundam partem: negative juxta praxim archibasilicae Lateranensis.

S. C. resp.: Quoad primam partem provisum per Pontificale romanum de ordinatione presbyteri; quoad secundam partem negative juxta praxim Archibasilicae Lateranensis.

Die 12. Septembris 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 351.)

VII. SS. Sacrament. in process. SS. Corp. comitantis.

Vd.: *Processio* (Cler. inf. paratus, decr. n. 5136 t. II. p. 780).

33) In processionibus.

Vd.: *Reliquia* (Habit. deferent.); *Stola parochorum*; *Instr. Clem. §. IX. n. 10.*

Ad dub.: Utrum in Terra Caesarum, ubi adsunt duo Parochiae, convenientes parochi ad aliam functionem ecclesiasticam v. g. funeris seu processions, possint ambo in eadem functione deferre stolam, nec ab ullo possit eisdem prohiberi, neque a parcho, per cujus parochiam fit transitus?

S. C. resp.: Non posse prohiberi. N. 3036 die 2. Octobris 1683.

Ad dub.: Cujus coloris debeat esse stola Parochorum et Capellanorum, ad adorandum expositum SSmum processionaliter cum cruce cum parochianis. fer. 2. 3. et 4. maj. hebd. confluentium?

S. C. resp.: „*Utantur colore temporis convenienti.*“ — Idem resp. S. C. ad dubium: An liceat per viam adhibere violaceam et infra ipsam Ecclesiam coram SSmo accipere albam et tempore et hora, qua orant, vel semper tam in eundo quam in orando adhibere violaceam vel albam? N. 3109 ad 1 et 2 die 4. Maji 1686.

In functionibus non parochialibus et praecipue in processionibus et choro

Parochis licere deferre stolam. N. 3164 ad 1 die 21. Augusti 1688.

Licet Parocho Sutrinae occasione processionum discedere a sua parochia, accedere et transire per Parochiam Cathedral. cum stola. N. 3650 ad 5 die 28. Aprilis 1703.

In processionibus Capellani Confraternitatum possunt deferre stolam sed non extra propriam Ecclesiam. N. 3670 ad 23 die 12. Januarii 1704.

In processionibus Capellanus Societatis saecularis B. V. M. Pedemantis non potest deferre stolam. N. 3758 ad 2 die 22. Januarii 1706.

Idem decretum pro Capellano Confratern. S. Rosarii Burgi. N. 3910 ad 3 die 9. Julii 1718.

Licere Capellano Societatis *del consorzio* erectae in Collegiata Terrae Massae Fiscaiae deferre stolam in omnibus functionibus solitis et ad ipsam Societatem specialiter spectantibus etiam in transitu per Ecclesiam. N. 4460 die 23. Augusti 1794.

Ad dub.: An Parochus Collegiatae s. Venantii Camerinen., in processionibus, in quibus intervenit utrumque Capitulum (Cathedr. et Colleg.) incedere debeat a sinistris Parochi Cathedr. etiam cum stola?

S. C. resp.: Affirmative et amplius. N. 3877 ad 7 die 11. Maji 1715.

In processionibus particularibus, quae fiunt a Parocho s. Stephani Terrae Montis Fortini, in quibus intervenit Capitulum Colleg. s. Mariae, praecedentia et usus stolae debetur eidem parocho n. 4073 ad 4 die 27. Aprilis 1738.

Ad dub.: An et in quibus functionibus et processionibus Capellani Con-

fraternitatum SS. Rosarii et Crucis possint deferre stolam?

S. C. resp.: Non licere nisi in propria Ecclesia. N. 4182 die 3. Septembris 1746.

Licet PP. Ordinis Praedicatorum Pali deferre stolam in processione SS. Rosarii absque licentia parochi. N. 4225 ad 1 die 22. Aprilis 1752.

In processionibus gener. et obligationis aliisque communi causa indicendis interessente Capitulo Archipresbyteri deferre possunt stolam. N. 4262 ad 6 die 18. Decembris 1756.

Veliternen.

In Ecclesia s. Maria ad Nives nuncupat. Civitatis Veliternen. ab anno 1600 canonice erecta est Sodalitas sacrorum Stigmatum s. Francisci, quam sa. mem. Clemens VIII. per apostolicas Literas in forma Brevis de anno 1604 singulis ditavit privilegiis et praerogativis, quae Archiconfraternitas sub enunciato titulo in Urbe gaudet. Semper autem, nemine contradicente, Capellano usa est in publicis tam solemnibus, quam funebribus Processionibus, Superpelliceo et Stola induto tam intra quam extra propriam Ecclesiam. Novissime visum est Parochis Civitatis illam ab hujusmodi consuetudine deturbare, sub praetextu, quod Stola parochialis jurisdictionis sit peculiare distinctivum, quodque S. Congregatio in generali Decreto *diei 12. Januarii 1703* requisita ad dubium XXIII.: an in dictis Processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre Stolam? responderit: „Negative extra propriam Ecclesiam“: Cujus Decreti etiam meminit Synodus dioecesana in Appendice ad part. IV. Hisce innixi rationibus praetendunt, eandem a dictis Capellanis non a collopendentem deferendam esse, sed potius instar Almutiae vel Manipuli brachio superimpositam. Ad hujus-

modi evellenda dissensionum germina Confraternitas Sodales, exquisita Emmi et Rmi Card. Episcopi venia Sacram Rituum Congregationem rogarunt pro consuetudinis mantentione.

Et Sacra eadem Congregatio, immemorabili usu mature perpense habitaque ratione, quod Decreto generali minime obstante, etiam in Urbe et alibi consuetudo in contrarium viget; animadvertens tandem decere et conveniens esse, ut Confraternitatum Capellanus a simplicibus Clericis distinguatur, ad relationem mei infrascripti Secretarii, rescribendum esse censuit: „Servandam esse consuetudinem et nihil innovandum.“

N. 4607 die 27. Martii 1824.

(Decr. n. 4625 et 4626 die 16. Decembris 1826.

Facta autem de praemissis SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum approbavit.

Die 30. Martii 1824.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Ad componendas quaestiones, quae saepe oriebantur inter Parochos et Sodalitates Laicorum eorumque Capellanos generalia Decreta evulgata fuerunt anno 1703, quorum ope certa statuuntur confinia, intra quae utraque pars continere se deberet, ne in posterum similes contentiones excitarentur. Haec inter, quod nostra interest, illud est, quo non licere declaratur praefatis Capellanis stolam deferre extra propriam Ecclesiam, quo posito ad hujus Decreti tramites *Negative* respondendum fuisset supplici Libello porrecto nomine Sodalitatis sacrorum Stigmatum Velitris canonice erectae et Archiconfraternitati Urbis aggregatae. Secus tamen accidit: et Emmi Patres Sacrae Rituum Congregationi praepo-

siti declararunt: *Servandam esse consuetudinem et nihil innovandum.* Et jure quidem. Etenim Decretum illud non ubique observantiam obtinuit et forte alicubi Ordinariis locorum acquiescentibus et annuentibus, in desuetudinem abiit. Praxis, quae Romae obtinet, exemplo sit, ubi Capellani Sodalitatum sine ulla contradictione Stolam deferunt, et pacifica modo res est, nedum vigore inductae consuetudinis, verum etiam Tribunalis Vicariatus Decreto et Sententia. Nam, lite excitata inter Sodalitatem Mortis, et Parochos Urbis quinque Dubia Sacr. Rit. Congregationi proposita pro decisione fuerunt, quae inter tertium: *An Rectores sive Sacristae, aliive Capellani earumdem Confraternitatum, quando non incedunt cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis, possint in funeribus ducendis Stolam deferre?* cui responsum fuit sub *die 27. Januarii 1680. ad 3. Negative.* Dubium autem supponit potius, quod Stolam deferri liceret, vel saltem in more id esset, dum Capellani incedebant cum suis confraternitatibus: non enim de hoc quaestio erat, quae unum respiciebat casum Capellanorum seorsim a suis Confraternitatibus incedentium. Non acquieverunt dissidentes partes, iterumque causa, beneficio novae audientiae, Sacrae Congregationi delata fuit, cui rem maturiori examini subjiciendam fore visum est; quomobrem *sub die 21. Aug. ejusdem anni* ampliatum iudicium fuit, quin tamen appareat iterum Sacrae Congregationem rogatam pro dubii decisione fuisse. Verumtamen scimus ex Decreto *Cardinalis de Carpineo* Urbis Vicarii super hisce controversiis *anno 1698*, plures habitos fuisse particulares Conventus; ac tandem, quatuor resoluta dubia a Patribus Sacrae Congregationi Concilii praepositis, negatumque Sodalitatum Capellanis *Cotta et Stola* in-

ditis tantummodo recitare preces, et lustrali aqua cadavera aspergere in Ecclesiis Parochialibus: sed per hoc non consequitur interdictum fuisse Stolae usum in Processionibus. Dices tamen, id postea vetitum vigore memorati Decreti anni 1703. Non intercedo. Dico tamen, vel nunquam, saltem Romae, hoc Decretum in observantia fuisse, vel postea eidem derogatum, permissumque Stolae usum in processionibus vel funereis, vel generalibus, vel peculiaribus, suprema auctoritate aut praeceptis, aut permissis. Lego enim in Statuto Cleri Camerarii Urbis, confirmatum fuisse Cardinalis de Carpineo Decretum sententia Cardinalis Marefuschi Urbis Vicarii, Petri Cathedram tenente Benedicto XIII. (scilicet multo post, quam prodierat Decretum generale anni 1703.) Per eam sententiam vetitum est Confraternitatibus Crucem erigere, sed eisdem datum, parvum adhibere vexillum, seu signum in deferendis cadaveribus; permissum tamen, quod Capellani Confraternitatum incedant cum Stola immediate post ipsam Confraternitatem. Ex quo intelligimus, antea inolevisse abusum incedendi cum Stola seorsim a Confraternitate, vel etiam in eadem linea ad sinistram Parochi, cum de eisum videam sub die 20. Decembris 1698: *Capellani Confraternitatum in associatione cadaverum tumulandum, etiam ad Ecclesias, seu Oratoria ipsarum Confraternitatum, non licere incedere in fine Processionis funebris ad sinistram Parochi, sed tantummodo incedere debere post ipsam Confraternitatem funus associantem.* Quae Decreta confirmata postea fuerunt a Cardinali Quadagni Urbis Vicario sub fel. recor. Clemente XII. Ita in praefato Cleri Urbis Statuto a pag. 61. ad pag. 63. Sed hic de Stola adhibenda, vel non, dum Capellani sejuncti non sunt a suis Con-

fraternitatibus, ne verbum quidem occurrit, vetitus vero est Stolae usus in Ecclesia tumultante, in qua possunt preces devote recitari, ut prosequitur laudatum Cardinalis de Carbinio Decretum, *sed sine cantu, sine thure, sine Stola, et sine aspersione aquae benedictae, luminibus tamen accensis.* Verum prohibitio isthaec non extenditur ad funebrem Processionem extra Ecclesiam. Ex his consequitur delationis Stolae prohibitionem, quae venit ex Decreto anni 1703, vel ex permissione, et privilegio, vel ex longaeva consuetudine coercendam esse quoad Ecclesias, non quoad Processiones. Et revera haec est consuetudo, quae Romae viget, ubi in omnibus Processionibus, quae fiunt, vel in funerum associatione, vel devotionis gratia, vel de Praesidum mandato, cum vel sine pompa, Capellani agmen Confraternitatum claudentes Stolum deferunt coloris, quem exigit actionis qualitas, eademque in Ecclesiarum ingressu dimittunt, in egressu reassumunt. Quodsi ratio quaeratur, cur id, ubi consuetudo est, permittatur? facile est invenire: decet namque, ut hisce in Processionibus Sacerdotes Stolum deferant, quae characteris distinctivum est, ne cum simplicibus clericis confundantur. Neque est, cur Parochi id eis invident, turbasque moveant: non enim per delationem Stolae ipsorum jura, privilegia, praerogativae laeduntur: Siquidem probatum fuit in adnotationibus legendis ad Decretum in Tiburtin. diei 25. Augusti 1818, Stolum distinctivum quidem esse, non autem signum jurisdictionis ut perperam Parochi arbitrabantur. Neque ipsis fit injuria, si Capellani incedentes cum suis Confraternitatibus, Stolum deferant, praesertim in ducendis funeribus, quippe Parochi digniori prosequuntur loco in fine processionis, neque cum iisdem Capellanis confundi possunt; ideo per

praefatum Cardinalis Carpinei Decretum dumtaxat praecipitur, ne Capellani eandem tenentes lineam, ad eorum sinistram cum Stola incedant: quo tantum in casu ab iisdem minime distinguerentur et aliquod jus viderentur habere in corpus defuncti, ut habent Parochi; jure igitur vetitum id est. Enimvero haud repugnabant Parochi Velitrenses, immo annebant, ut praefatus Capellanus Stola, tamquam Sacerdotalis characteris insigne, uti posset, dummodo eam deferret super brachio plicatam instar Almutiae, non autem e collo pendentem.

Quid ineptius ad componendam litem? Num quid novi ritus ad litigantium placitum, commodumque sunt inducendi? Stola ex Rubricarum praescripto, non alio deferenda est modo a simplicibus Sacerdotibus supra Cottam, quam circa collum aptata, et pendens ante pectus, praeterquamquod in Sacrificio Missae in quo componenda est in forma Crucis: neque est chorale indumentum, ut ad instar Almutiae deferenda sit. Licet dumtaxat brachio plicatam superimponere, dum aliqua actio Stolum requirat, dimittendam, actione absoluta, reassumendam, quando iterum Sacerdos sacrae actioni operam suam praestare debet.

Erit forte nonnemo, qui hucusque relata haud trahi posse secum putet ad casum; de quo agitur; nam S. C. Concilii responsa. Cardinalis de Carpineo Decretum, Cardinalis Marefuschi sententia, prodierunt in causa Parochorum, et Confraternitatum Urbis, nec quidquam commune habent cum controversia inter Parochos, et Confraternitatem a Stigmatibus nuncupatam Civitatis Velitrensis. Huic exceptioni facile satisfit. Equidem non diffiteor de Capellanis tantummodo Sodalitatum Urbis actum fuisse: verum a Cardinali Marefusco pronunciata sententia, et consuetudo deferendi Stolum per

praefatos Capellanos invincunt in casibus particularibus, aut consuetudinem sustineri, aut privilegio alias etiam Confraternitates posse decorari. Nam a firmata regula, prohibente Confraternitatum Capellanis Stolae delationem extra proprias Ecclesias, recedendum est, si favore earumdem Sodalitatum, earumque Capellanorum pugnet longaeva observantia, quae in subjecta materia totum facit, ac unice servanda est, veluti firmavit Rola in Colonien. praeeminentiarium 22. Junii 1701. § Verum, coram dell' Olmo, et in Neapotitana Primiceriatu 11. Decemb. 1722. § Sed et clarius, coram Lancetta. Videbis Fabium de Albertis de sacris utensilibus cap. 8. num. 80. Cum vero in eodem sacro Tribunali non semel disputatum fuerit, utrum jus deferendi Stolum competeret Capellanis Societatum aggregatarum, in vim hujusmodi aggregationis, tam in Processionibus, quam in aliis functionibus? favore Sodalitatum decisum fuit, ut in Savonen. Aggregationis 27. Junii 1698 et 15. Junii 1699 coram Pio, 9. et 15. Junii coram dell' Olmo 1670, et 13. Junii 1701 coram Molines, quae est inter ejus impressas 727. Velitrensi autem Sodalitati nedum favebat consuetudo verum etiam communicatio privilegiorum, quibus gaudet Archiconfraternitas Urbis, cui est aggregata; ideo S. C., habita utriusque ratione, in casu particulari ejusdem Sodalitatis favore pronunciavit. Cur tamen dixi, in casu particulari? immo potius ut generale haberi posse Decretum videtur, quo moderatur et declaratur antiquum illud anni 1703 quippe quia non una fuit decidendi ratio ex immemorabili usu Confraternitatis, de quo erat quaestio, atque ex consuetudine Romae alibique vigente, sed etiam altera, quae communis est omnibus Confraternitatibus, si eadem S. C. simul animadvertit: Decere, et con-

veniens esse, ut *Confraternitatum Capellanus a simplicibus Clericis distinguatur*. Generalem igitur Decretum istud dat regulam: eoque magis, quia Apostolica auctoritate *SSmus Dom. Noster Leo XII. Pont. Max. S. C. Responsonem approbavit, et confirmavit.*

Tiburтин.

Hodiernus Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae S. Petri, et Parochus S. Joannis Bapt. Oppidi Poli Dioecesis Tiburtin. aegre ferentes, Capellanos Sodalitatum ibidem erectarum in Processionibus Stolam deferre, S. R. C. humillimas porrexere preces, ut declararetur, an invecta consuetudo isthuc sit licita, ac proinde toleranda? S. eadem C. post acceptam Informationem Rmi Episcopi Tiburtini, in ordinariis Comitibus ad Vaticanum subsignata die coadunata, re mature perpensa, ad relationem mei infrascripti Secretarii, rescribendum censuit: „Juxta alias Decreta licere Capellanis Confraternitatum Stolam in Processionibus deferre.“

Atque ita rescripsit, ac in proposito casu omnino servandum esse edixit, atque mandavit, die 11. Martii 1837. N. 4808.

Ad dub.: An Capellanus Confraternitatis Mortis loci Praedarii possit deferre stolam in processionibus in Oratorio tantum, seu etiam extra illud?

S. R. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 3. et 24. Sept. 1718. ad 6. Novarien.

34) In Processionibus SSmi.

Vd. *Diaconi assist.* (stola.)

Non licet in processionibus, quae per annum ad honorem Corp. Chr. mag-

nificentissime peraguntur, singulis Capellanis Congregationis SSmi. Taurin. deferre stolam. n. 1764 ad 3 die 7, Aug. 1655.

Non competere Capellano substituto Praepositi stolae delationem, quando- cunque Praepositus ipse Processionibus interveniat et sit praesens; cum vero Praepositus absens et legitima causa fuerit impeditus, non ad Archipresbyterum sed ad Capellanum Praepositi munia explere et stolam deferre spectare. n. 1925 die 7. Sept. 1658.

Ad dubium: an parochi, qui intersunt processioni SSmi. in Festo Corp. Chr. et in aliis functionibus propriae parochiae possint deferre stolam supra *Mozzettam*? S. C. resp. Negative et servetur decr. die 7. Sept. 1658. n. 4815 ad IX. 2 die 22. Sept. 1837.

35) In porrigendo SSmo.

Vd. *Diaconi ass.* (porrig SSmum); *Stola Sacerd. communic.* (decr. 12. Sept. 1857.)

Capellae Pontificiae.

Emmis Patribus exposui a pontificatu Clementis VIII. abusum in capella pontificia inductum, ut scilicet primus cardinalis diaconus assistens dominica prima adventus in capella Paulina e manibus Papae custodiam SSmi Sacramenti accipiat sine orario. Sacra igitur Congregatio jussit, ut in posterum caeremoniarum magistri statim ac Pontifex pervenerit ad locum, in quo sacramentum dimittit in manibus cardinalis diaconi ejusdem humeris aptent stolam violaceam diaconali more, et ita hujusmodi abusum ex apostolicarum caeremoniarum praxi omnino revocari mandavit. Die 1. Decembris 1657.

(Anal. J. P. 1863 p. 344.)

36) Quae erat in primis saeculis?

Vd. *Stola paroch.* (decr. n. 4550 nota).

37) In Receptione Praelati.

Vd. *Episcopus* (accessus etc.); *Aspersorii porrectio* etc.)

Ad dub.: In receptione Praelati ad Ecclesiam hisce locis solet Superior Ecclesiae ad januam Ecclesiae ipsius eum excipere, et eidem porrigere Aspersorium indutus superpelliceo cum Stola. Quaeritur an supradicto in casu usus Stolae tolerari possit? „Negative.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183 ad 31. Die 16. Apr. 1853.

38) Sacerdotis.

Vd. (*Stola presbyteri.*)

39) Ad tumulum mortuor.

Vd. *Tumulus* (quid in tumulo etc. decr. n. 4536.)

40) In Unctione extrema.

Vd. *Stola* (administr. SSmum; praecip. decr. n. 4623); *Canonici* (administr. Sacrament.); *Indulg. plen. pro Morib.* (habitus);

Ad dub.: An Sacramentum extremae Unctionis cum Stola tantum administrari possit? S. C. resp. Negative n. 4623 II. 2. die 16. Decembris 1826.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Eadem responsio convenit alteri huic dubio. Rubrica namque ordinem, ritumque praescribens in administratione Extremae Unctionis servandum, vult omnino decenter ministrari; ideo vestes, quae a Parocho, vel Sacerdote ministrante adhibendae sunt, tales sint oportet, ut ad debitam reverentiam rectamque tractationem conducant, praesertim vero omittendae non sunt, dum eas signanter Rubrica designat, et adhiberi jubet. Haec autem nedum principio expresse praecipit, datque

regulam generalem de Superpelliceo, et Stola coloris convenientis adhibendis in omnium Sacramentorum administratione, ut supra notatum est, verum etiam speciatim agens de Sacramento Extremae Unctionis. *Deinde* ait, *posito oleo supra Mensam, Superpelliceo, Stolaque violacei coloris indutus, aegroto Crucem pie deosculandum porrigit, mox etc.* En praescriptum praeter Stolam etiam Superpelliceum. Cur autem servanda, et non potius damnanda consuetudo seu potius corruptela Extremam Unctionem ministrandi sine Superpelliceo? Excipio casum positivae necessitatis. Dura quippe videtur sententia Layman. *tract. S. cap. 8. num. 1. relat. a Barbosa,* qui dicit, *non licere, etiam in casu necessitatis, administrare hoc Sacramentum, non adhibitis vestibus ab Ecclesia praescriptis.* Certe casus necessitatis a multis excusat, veluti refert et monet *Barruffaldus ad Rituale Roman. tit. 27 num. 44.* At casus necessitatis dari potest, quin tempus suppetat sumendi vestes pro hoc Sacramento ministrando praescriptas. Quid autem si longum, ac difficilius ineundum sit iter? Eritne causa sufficiens, quae ab usu praescriptarum vestium excuset? Minime gentium. Rubrica casum praevidit, eidemque consulit, et, dum modum servandum quoad circumstantiam itineris indixit, nullam aliam limitationem posuit, aut moderationem quoad reliqua. En Rubrica: *Quod si longum est iter peragendum, aut etiam equitandum sit . . . vas cum oleo sacco, aut bursa inclusum . . . ad collum appendat, ut commodius et securius perferat.* Quae quidem ad circumstantiam itineris dumtaxat sunt referenda, non ad cetera, quae circa Sacramenti administrationem versantur. Rubrica igitur, quae sine ulla exceptione, limitatione, aut moderatione adhiberi jubet Superpelliceum

et Stola servanda omnino est, et ab ea nullo sub expiscato praetextu declinandum. Ideo usus contrarius sive potius abusus, ubi viget, est eliminandus.

41) In Vesperis.

Lucana.

Ad supplicem Libellum hodierni Guardiani Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Civitatis Lucanae exquirentis, an attentata ibi invecta immemorabili consuetudine, continuari possit usus decantandi Vesperas Celebrante *Alba, Stola et Pluviali* induto? S. C., referente infrascripto Secretario, respondendum censuit: *Serventur Decreta*. N. 4789. Die 27. Aug. 1836.

Ad dub.: Num celebrans, ubi non est obligatio chori, in vespis festivis vel votivis, possit stola induere, quum sit veluti praecminentiae signum, in choro, maxime in Ecclesiis ruralibus?

S. C. resp.: Negative juxta alias decreta.*) Die 11. Sept. 1847 ad 5. *In Veronen.*

Vd.: *Stola* (in choro; in adm. Sacrament.)

42) In Vesperis et Matutinis.

Ad dub.: An retineri possit immemorabilis consuetudo dioecesis Veronen., quae etiam in aliis finitimis viget, quod in vespis festivis, et matutinis tenebrarum celebrans utatur stola, non obstantibus decretis id prohibentibus?

S. C. resp. Eliminandam consuetudinem

*) Immo nuperrime S. R. C. declaravit eliminandam esse *immemorabilem consuetudinem*, quod in vespis festivis et matutinis tenebrarum celebrans utatur Stola. Die 7. Sept. 1850 ad 7. *In Veronen.*

veluti decretis oppositam praesertim in Alexanen. die 7. Septembris 1658, in Dalmatarum 4. Augusti 1663 ad dubium III. in Nullius Farfen. Die 7. Septembris 1816 unde Decretum generale prodiit die 26. Aprilis 1834 in Bituntin. 16. Martii 1833. Die 7. Septembris 1850.

Corresp. de Rome 1831. Ed. II. n. 59 p. 223.)

Vd. *Stola in Off. def.*

STRATUM LAICORUM.

Vd.: *Pulvinar, Pulvinum.*

Strata ad Ecclesias sibi deferre nemini sub gravibus poenis licere declaratur exceptis dumtaxat personis Regalibus *Clemens XI. p. 3. sui Bullar. decret. 1. Congr. Caeremon. ibi.*)* „Proposito in Sacra Congregatione Caeremoniali quodam abusu inter alios, qui de recenti in Urbe irrepserunt, eadem Sacra Congregatio ad eum omnino tollendum die 30. currentis anni 1701 decrevit: *Non licere cuicumque personae quovis gradu, conditione, ac dignitate insignitae (ipsis Personis Regalibus tantum exceptis) ad Ecclesias strata sibi deferri facere, et si secus actum fuerit, immediate cessandum fore a divinis; quod nisi servetur, Rectores, caeterosque Ecclesiarum ministros, ipso facto excommunicationis poenam, aliasque arbitrio Sacrae Congregationis incurrere, eamque Ecclesiam, in qua talis abusus permissus fuerit, habendum esse pro interdicta.*“

Et facta per Prosecretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas sua decretum praefatum approbavit nec non promulgari, atque executioni tradi, et in omnibus Urbis sa-

*) Bull. r. t. VIII. p. 457. Ed. Luxbg. 1741.

crariis affigi mandavit die 3. Octobris 1761.

Toletana.

Capitulum et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Toletanae ad evitandos abusus pomparum et fastus nobilium ad dictam ecclesiam confluentium, qui sellas, strata et pulvinaria praemittabant, decreverunt alias nemini licere in posterum suprascriptis commoditatibus, seu vanitatibus in dicta ecclesia uti, exceptis dumtaxat regalibus personis et magistratibus; quod decretum fuit litteris Pii Papae V. confirmatum sub anno 1571. Ex quo decreto cum effectum esset, ut nobiles retraxerint se a dicta ecclesia, tandem dictum Capitulum et Canonici ad revocandos nobiles decreverunt ampliare et extendere dictum decretum ad omnes titulos, magistratus et officiales, eorumque uxores, filios et alios narratos in libello supplicii ipsius Capituli, quod cum per se facere nequirent, ex quo decretum illud erat auctoritate apostolica confirmatum ad Sacram Congregationem recursum habuerunt, quae respondit: Nihil Die 28. Martii 1626.

(Anal. J. P. 1863 p. 179.)

SUBCANTOR.

Vd.: *Cantor; Directio chori; Rector chori.*)

Ad dub.: An Subcantori debeantur omnes praerogativae et caeremoniae, quae debentur Cantori, quando in 2. Vesp. Nat. Dom. Pasch. et Pentec. canit loco ejusdem cantoris? S. C. resp.: *Negative.*

Item ad dub.: An ille tamquam caput choro debeat praeferi in sedendo, Hebdomadario, qui habet usum stolae, atque etiam in Processionibus def. tamquam caput chori praeferi debeat presbytero non Capitulari, qui stola defert? S. C. resp.: *Nega-*

tive n. 2238 ad 2. et 3. die 4. Aug. 1663.

In causa inter Capitulum ecclesiae cathedralis Puteolanae ex una, et Franciscum Constantinum ac Franciscum Pollicem dictae cathedralis subcantores ex altera partibus propositis in S. Rituum Congregatione ab Emmo et Rmo D. Francisco Cardinali Barberino ponente, infrascriptis dubiis, videlicet:

I. An subcantoratus sit dignitas in casu?

II. An subcantoribus dictae cathedralis ecclesiae licitum sit deferre signum pelliceum sicuti dignitatibus, seu canonicis ejusdem cathedralis?

III. An et quod stallum competat dictis subcantoribus, et an eis competant salutationes, thurificationes, et aliae praerogativae, quibus gaudent dignitates seu canonici praefatae cathedralis?

Et S. Congregatio, visis et auditis juribus hinc inde ab utraque parte informante deductis, respondit: *Negative* in omnibus. Die 13. Septembris 1692.

Puteolana.

Super controversiis inter Franciscum Constantinum et Franciscum Pollicem subcantores ex una, et Capitulum et Canonicos ecclesiae cathedralis Puteolanae, ex altera partibus, excitatis, ab Emmo Francisco Barberino in S. Rituum Congregatione propositis infrascriptis dubiis.

1. An subcantores cathedralis Puteolanae teneantur ad servitium ecclesiae quotidie, stante tenuitate reddituum? et quatenus affirmative.

2. An, et quae insignia, quod stallum, et praerogativae ipsis debeantur?

S. eadem Rituum Congregatio, tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit. Ad pri-